

nus inserere systemati meo, quod nequeo non visa planta,  
cum toties elusus fui.

Item noli delineare *Hieracium* istud inter Tuas, ante-  
quam hoc coluisti per annum in horto. Vidi duas plantas  
in hortis i. e. extra alpes, sic mutasse faciem, ut jurares  
diversas.

Tota hac aestate occupatus fui in *Cap. b. spei plantis*.  
bone Deus, quam mira et singularia, accepi inde plus mille  
species.

*Psoraleam* raptim dicebam ultimo missam plantam, sed  
est Indigofera, re melius examinata.

*Dickia* aut erit monstrum, aut eodem modo dehiscit ut  
*Phryma capensis*.

Vale . d. 15. Sept. 1773.

---

## 72.

Vir amplissime!

R. ad literas 25. Septembr.

Euphorbia maculata 186 Tua; etiam mea.

Euphorbia canescens Tua, etiam mea est.

Euphorbia hypericifolia Tua, mihi *Euphorbia parviflora*.

Crotalaria missa est *Crotalaria incana* mihi.

Nuper accepi Lythrum carthaginense Tuum, pulchra  
planta est. Semina Evonymi verrucosi erant exoptatissima,  
gratias habe.

Gentianae ciliatae specimina possideo ex Europa au-  
strali, Sibiria, America septemtrionali et Islandia a Koeni-  
gio, et puto esse meras varietates. Tuum est facere pro  
lubitu.

Bryoniam baccis rubris vidi copiose et examinavi, certe  
vidi mares et feminas dioicas, vidi et nisi monoicas andro-  
gynas s. monoicas in Belgio.